



XII
17

CLIMACTE-
RICUS

Hebdomadicus nonus

ILLUSTRISS: ET CELSISS: PRIN-
cipis ac Domini, Dn.

AUGUSTI,

PRINCIPIS ANHALTINI, CO-
MITIS ASCANIÆ, DOMINI SER-
vestæ & Bernburgi, Illustrissimæ
Familiæ Senioris,


ANNO M. DC. XXXVIII,
XIII. Julij,

feliciter exactus,

Votivâ acclamatione

À

Celsitud: ejus humilimis cultoribus &
ministris exceptus.



SERVESTÆ,

Typis ANDRÆ BEZELI,

ELIASE

RIEGER

Heldensagen

NEUERSTES ERGÄNZTES PAAR

von Dr. ...

ALIGUSTI

PRINCEPS ANTIQVITATIS

MILITAE ANTIQVITATIS

volke & ...

...

ANNO-MDC. XXXVII

XIII Jovis

...

Vom ...

Cellendi: epistolarum ...

...

...

...

Typis ...



I.



T tandem votis adspirant fa-
ta: PARENTI
AUGUSTO PATRIÆ sur-
git amica dies.

Sæpe annos vidit septenos,
sæpe novenos;
Ultra horum synodum sed
tamen ILLE viget.

Et nunc post decies-sextum IPSI nascitur annus
Quartus: qui felix, quiq; salubris eat!

Ergo quid astrorum leges, quid fata dierum
Famosiq; anni funera densa putas?

Sint astris leges: sint certis fata diebus;

Jus tamen & vitæ & mortis JÖVA tenet.

An dicas legem huic, qui legum fons & origo?

Atque autor fato pareat ipse suo?

Absit, ut in summū cadat hæc angustia NUMEN,
Quam nec terrenus fert sine bile Deus.

At Tu, Qui solus vitæ & necis ARBITER audis,

*HOC CAPUT, hoc SACRUM protege, CHRISTE,
CAPUT!*

Humilimæ congratulationis ergò sic voveb,

MARTINUS MILAGIUS, Prr. An-
haltin. Consil. & Cancell. Servest.




*E X decies anni solitum jam
 (terq₃ recurrens
 Confecit rutilo lumine
 (Phœbus iter;
 Tempore quo Princeps AUGU-
 (STUS sydere fausto
 Venit in hanc lucem, mu-
 (nere, Christe, tuo.*

*Ergo qui recubat viridis sub tegmine RUTÆ,
 ASCANIÆ & celsæ succum ope Stirpis habet,
 Dignas jure DEI persolvat pectore grates,
 Hanc Patriæ nobis quod velit esse Patrem,
 Qui sine sevitia reddit jus omnibus, atq₃
 Principe pro nostro vota precesque ferat,
 Latior ut redeat lux, & Dux inclytus usque
 In Pylîj vigeat tempora longa senis.*

JOHANNES
 Cöppen

III. Cli-

III.



Climactericus annus ille
 (magnus,
 Heptas quem novies jugata
 (complet,
 Multum noxius esse prædi-
 (catur:
 (Androdas ideo voca- Quasi av-
 tus olim.) deus deus.

Cum morbos minitetur, immò mortem,
 Immò cum intulerit subinde mortem,
 Multis principibus virisq; doctis,
 Quorum nomina dedicata cedro,
 Quorum lumina consecrata cœlo
 Adhuc æstimat eruditus orbis.
 At, PRINCEPS, hodie favente Jovæ,
 Climactericus annus ille magnus
 A te cernitur, omnium favore,
 Prosperè superatus. ô benignum
 Fatum! ô sacra dies calente voto:
 Multos ut superes adauctus annos,
 Complures superes torosus annos,
 Plurimos superes beatus annos!

CHRISTIANUS
 Becmanus.

A 3

IV.Im-

IV.



*Imperii caput Ausonii triete-
ridas olim,*

*Augustus unam bisq; denas
fortiter*

*Finierat: Letus Cajum, ecce,
in vota vocavit:*

*Gratare lætâ voce clima-
tericum,*

*Heroum, senibus quo non infestior alter,
Felice nuper alite exactum Patri.*

*Ascaniæ Gentis celsæ caput & decus unum,
Auguste, subditos tuos ecquid decet?*

*Unam & bis denas jam nunc trieteridas alto
Ab axe voluit Cynthius dexter Tibi:*

*Ingrati, & quibus es circum præcordia triplex,
In vota sunt segniores improbi:*

*Mens animi nobis alia est: in vota vocamur,
Auguste, digna Principis fastigio:*

*Viribus æqua tamen dederit si Musa, Videri
Solvisse debitum æquitas responderit.*

Vive

*Vive igitur, longumq; vale, celsissime Princeps,
Periculorum emensus equor horridum:*

*Vive tui victor jam climacteris, & alto
Ab axe ducito alterum primo parem.*

*Invide, quid torvum cernis, Saturne? volumen
Septenniorum volverurus invidum.*

*Quadrantemque loci repete & contraria signa
Mortalium laceffe tristes in neces.*

*Falleris: Enneadum nil hebdomadamque mi-
naces*

*Hunc Principem orbis territant fortissimū:
Numa quibus cessit quondam, cessitq; Darius,*

Trajanus, Adrianus & Mauritius:

*Cessit Aristoteles, cessit Salustius, Orpheus,
Facundiaq; Tullius cessit parens.*

*Fortior his annum, Princeps, audentius urges
Auguste, climactericum multis gravem.*

*Nec miror: Sorabūm vigilant tibi vota, piorum
Tibi excubant preces ubiq; fervide;*

*Tristia & ipsa vorvent longam tibi tempora vitā,
Autoritatis indiga atque opis tue.*

Tot

*Tot clypeis tutus, Jovâ duce & auspice Jovâ,
Longævioris fila vitæ digeris;
Nil veritus Parcas, & nil Saturnia regna,
Nil atra climactericorum vincula.
Vive igitur longumq; vale, quem Jova valere
Jubet, voventq; tempora & nostræ preces.*

Ita vover

MARCUS FRIDERICUS
VVendelinus, G.A.R.

V.



Illuxit tandem, quam tot ge-
(mebunda subinde
Tam varios inter rabiosi tem-
(poris ictus
Hactenus expectat Respublica
(Patria votis:
Illuxit sperata Dies, quâ cor-
(pore Princeps
AUGUSTUS valido post bis sex lustra peracta
Unam confecit vegetâ trieterida mente.

Quem

Quem vitæ tetigisse scopum isto tempore forsan
Vix è millenis unum contingere certum est.

O jucunda Dies, ô exoptata! lapillo
Candidiore inter reliquas ô jure notanda!
Post tot post toties exhausta pericula, post tot
Gnaviter exhaustos noctesq; diesq; labores,
Quâ datur incolumem Ascaniæ spectare Dyna-
stam.

Scilicet ista DEI meritò clementia gratis
Laudibus, & memori celebranda est carmine
nobis.

Salve AUGUSTE Pater Patriæ fidissime,
Salve
Prælustre Ascaniæ columen, salve optime
Princeps,
Salve iterum atq; iterum: cedant fausto omine,
cedant

Omnia, quæ peragenda tibi sunt cunq;, secundo
Numine. Qui solus cœlos terrasq; gubernat,
Det Deus ô, firmetq; suo cœpta omnia nutu.

Nos certè, toties dubijs quos sortis acerbæ
Ereptos fatis vivos superesse dedisti,
Quos priscâ gaudere fide, gaudere dedisti
Relligione piâ sedesq; habitare paternas,
Queis milleni aliquot miserâ cum prole per annos
Ejecti multos nudis jactantur in oris,

B

Pro

Pro tantis in nos meritis, pro tamq; paternâ
In nos & nostros curâ persolvere dignas
Possumus haud grates. Solvet, qui solvere solus
Et solet & sine fine potest dator ille bonorum,
Unicus excelsi moderator magnus Olympi.

Tu verò in nostram, Princeps AUGUSTE, salu-
Illustri multos sospes cum Prole per annos (tem
Vive valeq; , diu sospes cum Coniuge vive:
Vive diu Ascaniæ celsissima Gloria terræ:
Vive vale Ascaniæ Domus Illustrissima Stirpis.

M. PETRUS BON JENA
Reipub. Servestana Consul.

VI.



Scilicet: amara identidem se dul-
cibus

Miscere, lætam cernimus suc-
cedere

Sortem sinistrae, luctuique
gaudia.

Hic nempe rerum est arbitro
mos, unico

Mundi patentis frena nutu qui tenet.

Quos ipse fido quos & imo amplectitur

Amo-

Amore, connivens tamen languentibus
Humeris molesta imponit olim pondera:
Sed & cruenta fortè iis pericula
Si qua imminent, sævamque rictu squalido
Inhiant necem, salutis optato suæ
Clypeo tegit, noxamque funestam eripit.

Tutelam eandem Altissimi, lugubrium
Nuper dolorum dulce lenimen, satis
Princeps verendus noster ille, ille inclytus,
Expertus; anno heroibus nimis invido,
Truces parante machinas, dolos, minas,
Jam jam fugato, lætiores en incoat.
Infauſta Gradivi deinceps horridæ
Proles Molæ nos desinant confringere!

Nunc ô ſpei fida atque firma heilanguidæ
Columna noſtræ, nunc tuis conjungimus
En vota votis, gaudiisque gaudia:
Nunc celicum Numen perennem gratiam
Tuæ ſaluti ſupplices expoſcimus.
Cingat verendos dia canos perpetim
Benignitas, Coſtamque prolemque inclytam!

comprecatur

NATHAN Vogt / D.
Senior.

B 2

VII. In

VII.



*N*umeris docti numerant
mysteria, triplex
Septimus hinc numerus
nomen & omen habet.

Virgineus multis, non-
nullis *Mysticus* audit,
Idem *Festivi* nomine
rite venit.

(Alias
sacer)
(Al.
Quie-
tarius
seu sab-
bathar-
ius.)

Sabbatha namq; piis annq; mensisq; diesq; ,

Qui solet à sexto *septimus* esse, dedit

Ipsè Deus terno gaudet, mundusq; quaterno,

E junctis constat *septimus*, hinc *sacer* est,

Immò *sacer* numerus, quo ludit pagina sacra,

Quo sacrum ludit Numen in orbe, cluet.

Viribus illæsis, nervoso robore *virgo* est,

Virgineo numero vis quoq; magna subest.

Ægrotis criticus, criticus nascentibus idem est,

Fatalem vivis resq; fidesq; probat.

Septenos novies vivit bene sospes in annos

AUGUSTUS, nostræ gloria summa plagæ,

Quem *magni* metuit *fatalem nominis* annum,

Clementi explevit Numine, victor ovat.

Si

Si quis amat patriæ enixè invigilare salutis;
Si quis quem gravitas, quæ pietasq; movent:
Si quis justitiæ assertor, defensor honesti,
Pectore prudenti, consilioque potens:
Si quis amat doctos, si quis fovet æquos egenos:
Tu veneranda mihi Canities is eris,
Sic inter proceres Germanidos ipsa coruscas,
Inter ut auroræ nuncius astra micat.
Gratulor hinc patriæ, nostræ bene gratulor ur-
Inclute Dux, canis gratulor ipse tuis. (bi,
Vive DEO nobisq; diu, quod comprecor, auctos
Annos Nestorei vive, revive senis.
Donec eò venias, ubi nec numerabimus annos,
Vespera nec vitæ finiet ulla dies.

Ex humilimâ subjectione add.
M. FELIX HAUSTEDIUS.

IIX.



*Canisurus veluti summa cacu-
mina,
Quod scandendo pedes promo-
vet altius,
Hoc metæ propior, fortè pericu-
Gaudet liberior magis. (lis
Et*

Et talis meritò, qui vitreae gradus
Ætatis dubios scandere quit senex
Non fractus senio, non animo suo,
Gratatur sibi sospiti.

Evax! Scansilium Tu modò septimam
Annorum enneadem, sidere prospero,
Egressus superas, Inclute principum,,
O Custos patriæ & Pater!

Evax! Quàm meritò cor micat intimum,,
Exultantq; fibris pectora Principis,
Subjecti q; gregis, cujus ab illius
Stat curâ atq; cadit salus.

O letum! ô niveum, terq; sacrum diem,,
Tantam letitiæ sufficit & metri
Qui venæ tenui materiam novi!
O lucis jubar entheum!.

Hanc nobis bonitas una dedit Dei,
Qui sincera animi sensa tenet pii,
Qui justum studium Principis optimi
Pensat munere seculi.

Cygnos dulcisonos inter Ego licet
Anser vel streperus gratulor hanc tamen,,

Leti

*Leti vota ferens pectoris è sinu
Et vocem accino jam meam.
Dux Augustus iò vivat! iò gradus
Complures senii scandat ovans sui!
Annorum huic seriem plurima protrahat
Conjuncta hebdomadi enneas!*

M. ERNESTUS VVULSTOR-
pius, S. A. Scholæ trivia-
lis R.

FINIS.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

M. ERNESTUS KUNZSTORF

FINIS



Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindermeister
Merseburg a. S.

VD 17







XIII

17

CLIMACTE- RICUS

Hebdomadicus nonus

ILLUSTRISS: ET CELSISS: PRIN-
cipis ac Domini, Dn.

AUGUSTI,

PRINCIPIS ANHALTINI, CO-
MITIS ASCANIÆ, DOMINI SER-
vestæ & Bernburgi, Illustrissimæ
Familiaë Senioris,


ANNO M. DC. XXXVIII,
XIII. Julij,

feliciter exactus,

Votivâ acclamatione

▲

Celsitud: ejus humilimis cultoribus &
ministris exceptus.



SERVESTÆ,

Typis ANDREÆ BEZELI,